QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, Die Iovis, XVII. Decembris,

M. PET. DE BEAVRAINS DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An congressus publicus Virilitatis Virginitatisque Examen?

CONIVGIVM est Maris & Feminæ conjunctio, individuam vitæ societatem continens, immortalitatis amicum, regnorum & humanitatis seminarium, virginum nubilium, ictericarum, & hystericarum vnica medela: non tantùm huic rei destinatum, vt rem habeat cum coniuge coniux, sed vt mutuâ ope se promereantur. CONGRESSVS PVBLICVS insolens huius seculi commentum, indignum castitate nostrorum temporum, viro potiori iniurium, lex durissima, sexus sequioris pudendæ Veneri commodius, incorruptam copulam, & sacrum violat vulnere fœdus. Quis furor, quæ nocte latent in luce fateri? Divortium matrimonii fructus hodiernus, proh dolor! hodie audacia indomiti, imperiosique animalis, suas vt sibi res vir habeat, impetrat.

NON tam individui, quàm speciei est Medicus, qui ex vestis, & ventris inspectione, illicitoque Veneris arcanæ duello publico, sitne devirginata mulier, an impotens masculus, consulitur. Sed, heu! vix vnus ex mille in Venerem armatissimis, ab hoc impari congressu, victor discedit: nec audit ligamen habenas: nec imperio iudicis aut iussui magistratus, sicula obtemperat. Quid triennium expectas? nulla nec pariendi, ita plantandi hominis, barbæque testium indicis stata dies: nec balneum mendax dolosas mulierum detegit artes. Volentibus nobis flaccescit, nolentibus arrigit cristas Penis. Tristitiâ, metu, odio, verecundiâ, animum despondet vir. Nec surrectio, & intromissio, masculæ Virilitatis, nec elumbis marcor, ἀδυναμίας argumentum. Eunuchi facere possunt, non patrare; & tener vxorem ducit Spado.

MENTVLA spongiosa, vnicus derivandi seminis tubulus, marisque ramus, ligamentis duobus arborescit, spiritu qui à Corde manat turgi-

da, virum facit ampliffimum: nec ob vnitatem, pluralitatemque teftium, quantumvis internorum, aut varicoforum, aut fcroti ῥάκωσιν, accufandus vir: nec credibile eft vnum poffe viduæ, qui non poffit & virginis arare fundum. Quafi Vterus fagax, voraxque animal repentino cervicis occurfu, pabulum non arriperet? quod fi Symphyfis naturalis aut adventitia φιμώσεως parens, ἀτρήτους, velatas, aut capiftratas facit, fi pinguedine obefus genialis thorus, fi ad coxam allapfus, fi membrana quafi peffulus obftet, fi nequeat nifi menfibus irrigata pertundi, fi os pubis valde depreffum, fi vterus prolapfus virginitatem æmuletur, virum ego infontem, fontem feminam, nec libellum repudii viro, fed mittendum vxori pronuntiabo.

INTEGRA & folida Puellarum non devirginatarum Virginitas, eft naturalis & primævus, nec interruptus partium tam concavarum quàm convexarum Vterinæ cervicis fitus, non rugis fed crifpitudine notandus. Vana quæ Anatomicis de exploranda virginitate hactenus lucubrata; vana decantatiffima membrana Hymen. Non dolor ex prima congreffione integritatis argumentum; nec digitus obftetricum ἀπαυρώτου index, cuius ad ingratum tactum Vterina cervix contrahitur, atque colligitur. Nihil ad primam Veneris pugnam, fluat, aut non fluat fanguis. Nonne mulieres, vt in viros evadunt, & erumpunt fæpe; ita dilatari Naturæ æftuantis opere, (cui foli in trinam auctio dimenfionem conceffa) abfque viri violentia, caftâ mente poffunt? Nullæ obftetrices virginitatis, ementitâ arte, etiam à partu refarciendæ.

QVI ad venerem eft inermis, fuæque impotentiæ confcius coniugi ne coniungatur, qui dubius an fit impos, Medicum accerfat fagacem, cuius oraculo lis de dubia imbecillitate dirimatur: qui fœcunditer hortum muliebrem irrigat, congreffu illo publico abftineat. Nulla viro victoria fperanda eft, vbi invita mulier hofpitem nunquã admittit priapum, quæ quafi Thracia Baccha, Orpheum verbis vnguibufque dilacerat; in quo veritas potiùs obtenebratur, quàm elucefcit: non quod protervis non fint multi inepti feminis, fed quòd immatura & præcox iuvenum venus, & quòd nutanti, vagoque pulfant meretricum diobolarium ariete portas, viros vietos, & exfuccos facit: mulieres verò nulla libidine fatiatas laffat. Sed quid moror? amor non imperatur, vbi non eft confenfus animorum, non poteft fieri copula corporum. Ergo folus amor perturbationum maxima, coniugalem follicitat, & conciliat venerem; non fatyrion, non vlla ars, aut vllum medicamen, quod naturæ irritandæ nativum creditur, non congreffus palam nefandus, hominum ignarorum, aut nefariè curioforum inventum, dedecus fæculi, fexus vtriufque infamia, quo teftibus teftes adhibentur, & dum Naturæ arcana infpiciuntur, defpiciuntur.

Non ergo Congreffus publicus virilitatis virginitatifque Examen.

Proponebat Lutetiæ HVGO CHASLES, Parifinus, M. DC. XXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Hermannus de Launay.	*M. Francif. des François.*	*M. Ioã. Riolan, P.M.R.*
M. Philip. Hard. de S. Iaques.	*M. Ioannes du Cledat.*	*M. Andreas le Gros.*
M. Helias Beda.	*M. Nicolaus Roland.*	*M. Ioannes le Mercier.*

cette these est la 689e du recueil tome IV. du recueil in folio des theses de la faculté —